DE PANDARO VENATORE HOMERICO

ET DE CAPRA AEGAGRO

Scripsit

Georgius Schmid

Dr ph.

Inest hic libellus Commentariis Ministerii Instr. Publ

PETROPOLI

MDCCCCI.

Lipsiae vendit G. Fock

(Buchhandlung G. Fock. G. m. b. H.

Извлечено изъ Журнала Министерства Народнаго Просвѣщенія, за 1901 годъ.

W. E. Gladstone in Studiis Homericis, ab A. Schustero in breviorem formam contractis p. 64 negat Homerum mentionem facere venationum apud Troianos, quamquam circa Idam montem habitent, neque Dianae ut venatricis apud eos deae. At sunt Troiani venatores, Scamandrius, Strophii filius, et Pandarus. Illum Homerus Il. l. V v. 49 αἵμονα θήρης dicit et

> ἐσθλὸν θηρητῆρα· δίδαξε γὰρ Ἄρτεμις αὐτὴ
> βάλλειν ἄγρια πάντα, τά τε τρέφει οὔρεσιν ὕλη.
> ἀλλ' οὔ οἱ τότε γε χραῖσμ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
> οὐδὲ ἑκηβολίαι, ᾗσιν τὸ πρίν γ' ἐκέκαστο.

Pandarus autem, Lycaonis filius, ipse quoque τόξων εὖ εἰδώς, ut est l. V v. 245, quamquam a patre admonitus, ut cum curru ad bellum proficisceretur, veritus, ne in tanta bellatorum multitudine equos suos pabulum deficeret, solo arcu armatus Troiam se contulerat. Regnabat autem Zeleae; iussu enim Minervae, ut est l. IIII v. 103 et 121, re bene gesta occisoque Menelao se hecatomben esse sacrificaturum vovet reversum ἱερὸν εἰς ἄστυ Ζελείης, quod oppidum ad Aesepum fluvium erat situm; cum Minerva eum reperiret, stipabant eum, ut est v. 90,

> κρατεραὶ στίχες ἀσπιστάων
> λαῶν, οἵ οἱ ἕποντο ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων.

Atque consentit cum his auctor catalogi navium v. 826 sqq. Minus autem videtur consentire ipse Pandarus, cum Diomedem illo vulnere confectum iri gloriatur l. V v. 104,

εἰ ἐτεόν με
ὦρσεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπορνύμενον Λυκίηθεν,

minus Aeneas, qui eum ad fortiter pugnandum accensurus v. 171 sic alloquitur:

Πάνδαρε, ποῦ τοι τόξον ἰδὲ πτερόεντες ὀιστοὶ
καὶ κλέος; ᾧ οὔ τίς τοι ἐρίζεται ἐνθάδε γ' ἀνὴρ
οὐδέ τις ἐν Λυκίῃ σέο γ' εὔχεται εἶναι ἀμείνων.

Quae cum dissentire atque repugnare viderentur, veteres quidam fuerunt, qui nullo negotio ad consensionem concentumque revocari posse rati dicerent, Zeleam ipsam quoque sitam esse in Lycia, quam ut distinguerent a Sarpedonis et Glauci patria, Lycia nimirum Ξάνθῳ ἔπι δινήεντι sita, ut est l. V v. 479, appellarunt Troicam. *Aristarchus* enim ad l. IIII v. 101 ὅτι, inquit, ἀπὸ τῆς Τρωικῆς Λυκίας, ἐξ ἧς ἐστι Πάνδαρος, ad l. V v. 173 apposuit διπλῆν, ὅτι τὴν Τρωικὴν Λυκίαν λέγει, ad v. 105 ὅτι τῆς Τρωικῆς Λυκίας. Eodem consilio *Strabo* l. XII c. 4, § 6, p. 565 Λυκίην τὴν ὑπὸ Πανδάρῳ dicit, sed ex hoc idem, audacior Aristarcho, novi aliquid effici vult; Lycios enim appellat comites Pandari et incolas Zeleae c. 1, § 7, p. 565 et l. XIII, c. 1, § 33, p. 596 atque sic appellari eos ab Homero affirmat § 9, p. 586 τούτους ἐκάλει καὶ Λυκίους, § 7, p. 585: οἱ ὑπὸ Πανδάρῳ Λύκιοι, οὓς καὶ αὐτοὺς καλεῖ Τρῶας. Qua in re eum in errorem esse delapsum manifestum est; nullo enim loco Homerus Pandari socios appellat Lycios.

Ipse enim Pandarus si non l. V v. 102, ubi Diomede vulnerato

ὄρνυσθε, inquit, Τρῶες μεγάθυμοι, κέντορες ἵππων

— hoc enim loco fieri potest ut omnes Troianos alloquatur—at certe v. 200, ubi pater, inquit,

ἵπποισίν μ' ἐκέλευσε καὶ ἅρμασιν ἐμβεβαῶτα
ἀρχεύειν Τρώεσσι,

et v. 210

ὅτε Ἴλιον εἰς ἐρατεινὴν
ἡγεόμην Τρώεσσι, φέρων χάριν Ἕκτορι δίῳ,

socios suos Troianos appellat.

Aristonicus enim quosdam tradit, ignaros, ὅτι λέγονται καὶ οἱ ὑπὸ Πάνδαρον (attende, non addi Λύκιοι) Τρῶες, scribendum putasse ἡγεό-

μην, Τρώεσσι φέρων χάριν ἱπποδάμοισιν. Consequens est quod legitur in navium catalogo v. 824 sqq.

οἳ δὲ Ζέλειαν ἔναιον ὑπαὶ πόδα νείατον Ἴδης,
Τρῶες, τῶν αὖτ' ἦρχε Λυκάονος ἀγλαὸς υἱός.

Sicut enim cum Dardani Troum nomine contineantur, Euphorbus et Tros appellatur et Dardanus l. XVI v. 807 et XVII v. 80, ita Pandarus quoque et Zeleae incolae, ut recte dicat Strabo l. X, p. 453 et XIIII, p. 574 λέγει μὲν γὰρ καὶ κοινῶς ἅπαντας Τρῶας τοὺς συμπολεμήσαντας αὐτοῖς..., ἀλλ' οὐ δήπου Τροίας ἐροῦμεν νὴ Δία καὶ τὴν Παφλαγονίαν οὐδὲ τὴν Καρίαν ἢ τὴν ὅμορον αὐτῇ Λυδίαν. Neque minus recte apud Stephanum Byz. s. v. Κτημένη legitur: πόλις Θετταλίας... ἧς τοὺς πολίτας Ὅμηρος Δόλοπάς φησιν, ὡς Σίντιας τῆς Λήμνου καὶ Τρῶας τῆς Ἰλίου καὶ Ζελείας sqq.

Adeo autem illam rei rationem Strabo exploratam habet, ut duplices fuisse Lycios dicat l. XII, c. 8, § 4, p. 572, quos unius eiusdemque originis esse suspicatur: οἱ διττοὶ Λύκιοι τοῦ αὐτοῦ γένους ὑπόνοιαν παρέχουσιν, ἢ τῶν Τρωικῶν ἢ τῶν πρὸς Καρίᾳ τοὺς ἑτέρους ἀποικισάντων. Quem *Plutarchus* secutus est; in libello enim qui inscribitur De virtutibus mulierum c. 9 Amisodarum ait, ὃν Ἰσάραν Λύκιοι καλοῦσιν, ἥκειν ἐκ τῆς περὶ Ζέλειαν ἀποικίας Λυκίων.

Arrianus quoque Strabonis de Lyciis Zeleae sententiam secutus est in Bithynicis (fragm. 68 in Fragm. Hist. Gr. Muell. vol. III, p. 599). Quem Eustathius ad Il. l. II v. 824 memoriae prodit haec scripsisse: Ζέλεια ἡ καὶ Λυκία, καὶ ὁ Ἀπόλλων ἐπὶ τῇδε τῇ Λυκίᾳ Λύκιος· διὸ καὶ Πανδάρου πατὴρ Λυκάων, οὐ πόρρω τοῦ τοιούτου ἔθνους πεσόντος τοῦ ὀνόματος· καὶ Λυκογενεῖ Ἀπόλλωνι ἐκεῖνος εὔχεται τῷ ἐπιχωρίῳ. In libro autem de expeditione Alexandri I, c. 12, § 8 breviter Zeleae et c. 17, § 2 eius oppidi incolarum mentionem facit.

Eustathius denique Strabone, ut fieri solet, audacior asseverat ad l. IIII v. 103 et V v. 173, sicut Lyciam μικράν, ita Zeleam antiquitus μικρὰν Τροίαν appellari solitam esse, ad l. II v. 824, Pandari cives, inquit, οὐ μόνον Ζελειῶται, ἀλλὰ καὶ Τρῶες, ἤδη δὲ καὶ Λύκιοι. τριωνυμία οὖν ἐθνικὴ καὶ ἐνταῦθα, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν Μυρμιδόνων προείρηται. Idem commentariis ad Dionysii v. 857 διττοί, inquit, οἱ Λύκιοι, ὡς καὶ Ὁμήρῳ δοκεῖ, οἱ μὲν Τρωικοί, καθὰ καὶ ὁ γεωγράφος φησίν, οἱ δὲ πρὸς τῇ Καρίᾳ. Ἄδηλον δὲ πότεροι τοὺς ἑτέρους ἀπῴκισαν. Cum igitur neque ante Aristarchum ulla fieri videatur duplicis Lyciae mentio neque post eum nisi ab eis, qui tantam auctoritatem sequebantur, qua re

ille commotus ad illam ἀπορίαν solvendam hanc viam putaverit ineundam, non est difficile coniectura assequi. Nempe duplici Phrygia; adnotat enim ad l. II v. 862 οὗτοι δὲ τῆς μικρᾶς εἰσι Φρυγίας. Haec autem dudum erat nota; nam μεγάλη Φρυγία est apud Xenophontem Instit. Cyri l. VII, c. 4, § 6 et VIII, c. 6, § 7, ἡ πρὸς Ἑλλησπόντῳ l. II, c. 1, § 5, Φρύγες ἀμφότεροι autem l. I, c. 5, § 3 et VI, c. 2, § 10.

Unus *Stephanus* Byz. breviter Ζέλεια, inquit, πόλις Τρωάδος neque s. v. Λυκία quidquam dicit de duplici Lycia.

Quod denique Strabo de colonia Lyciorum in Troadem, ut ait, deducta fingit, id rebus certe ea aetate, quam historia complectimur, gestis non comprobatur, si quidem recte J. J. Bachofen in libro qui inscribitur Das lykische Volk und seine Bedeutung für die Entwicklung des Alterthums, edito a. MDCCCLXII, p. 20 negat proprium fuisse Lyciorum iuventutis peregre abire ad novas sedes quaerendas.

Aristarchi autem Strabonisque sententia non solum eis placuit, qui quid Homerus de orbe terrarum senserit descripserunt, ut A. G. Schlegelio in Commentatione de geographia Homerica, primum edita a. MDCCLXXXVII, tum in Opusculis latine scriptis ab Ed. Boeckingio a. MDCCCXLVIII editis, sed etiam omnium fere, qui Homeri carmen explicarunt, assensum consecuta est.

Unus Carolus Fellows, homo de Lycia pervestiganda, sicut omnes sciunt, optime meritus, in libro qui inscribitur Travels and researches in Asia minor, more particularly in the province of Lycia, Londini a. MDCCCLII emisso a pag. usque 413 illam quaestionem ita solvendam putavit, ut diceret, poetam in errorem quendam inductum Τλώς, oppidum Lyciae, et vocem Τρῶς inter se commiscuisse, Pandarum regem fuisse Lyciae septentrionalis, Sarpedonem meridionalis. Quam sententiam comprobavit P. A. Paley popularis eius in commentario Iliadis a. MDCCCLXVI emisso (ad l. II v. 824, V v. 200 et 211).

Mihi autem res aliter se habere videtur. Audeo dicere, Pandarum in ipsa Lycia ad Xanthum flumen sita fuisse. Quod argumentis ex animalium natura sumptis comprobare conabor.

Confecerat quondam αἶγα ἄγριον. Est enim l. IIII v. 105 sqq.:

αὐτίκ' ἐσύλα τόξον ἐύξοον ἰξάλου αἰγὸς
ἀγρίου, ὅν ῥά ποτ' αὐτὸς ὑπὸ στέρνοιο τυχήσας
πέτρης ἐκβαίνοντα, δεδεγμένος ἐν προδοκῇσιν,
βεβλήκει πρὸς στῆθος· ὁ δ' ὕπτιος ἔμπεσε πέτρῃ.
τοῦ κέρα ἐκ κεφαλῆς ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει.

Primum igitur, quaenam sit haec fera, docendum. Qua de re quantopere quidam errarint, exemplo sit Fr. H. Bothe. Hic enim ad hunc locum adnotat intellegendam esse capram aegagrum, quam eandem se putare ac caprum ammonem Linnaei, ovem musimon, capram Sibiricam, caprovem Argali, quod animal magnis cornibus praeditum hodie non solum in rupibus Caucasi et Sibiriae Africaeque septentrionalis, sed etiam in insulis Corsica et Sardinia inveniatur. Qua in re eum vera cum falsissimis, capras cum ovibus confudisse quivis videt. Nunc per investigatores naturae et terrarum speculatores dudum melius edocti, quae sit haec fera, certo scimus. Praeterea nuper O. Keller in illo libro qui inscribitur Thiere des classischen Alterthums in culturgeschichtlicher Beziehung, Oenoponti a. MDCCCLXXXVII edito, omnis generis doctrina insigni, quidquid de hac re non modo litterarum, sed etiam artis antiquae monumentis continetur, admirabili diligentia et subtilitate amplexus est. Quocum multis in rebus, de quibus sum disserturus, consentire me lubentissime vidi; si in nonnullis ex mea disputatione quae efficiuntur diversa sunt ab huius sententia, pace id fiat hominis doctissimi atque de hac disciplina optime meriti. St. Fellneri quoque commentationem de arcu Homerico, quae Annalibus gymnasiorum Austriacorum a. MDCCCXCV inest a p. 193 usque ad p. 208, priusquam meam absolverem, cognovi; cui magna laus debetur, quod primus usitatam de arcu Pandarico sententiam falsam esse evicit recteque de eo sensit.

Licet autem inter physicos, quae ratio intercedat inter varia vel genera vel species horum animalium, nondum satis conveniat, cum variae sint species forma atque moribus non ita inter se diversae, tamen universo generi auctore Gmelino a viris doctis nomen e Babrii fab. CII v. 9 assumptum caprae aegagro impositum est.

Quorum una species eaque notissima est capra vel aegagrus ibex Alpinus, quem unum Plinius novit Nat. Hist. l. VIII, c. 54, § 124, de quo luculentis verbis Fr. de Tschudi disputat in libro, qui inscribitur Tierleben der Alpenwelt, nuper etiam Fr. C. Keller in Dombrovscii Encyclopaedia omnium, quae ad culturam silvarum et ad venationes pertinent disciplinarum vol. VII p. 346 sqq.

Altera species est aegagrus vel aegoceros Pyrenaicus s. Hispanicus, cuius mores et vitam R. Brehm describit in Alfredi fratris libro qui inscribitur Tierleben vol. III ed. tertiae, p. 185 sqq.

Deinde ex reliquis, neque enim omnes enumerandos puto, commemorandi aegagrus Caucasicus, aegagrus Pallasii, aegagrus Sibiricus.

Quorum imagines ad verum exprimendas curavit et divulgavit G. Radde in libro qui inscribitur Museum Caucasicum quod Tiflisi est, vol. I emisso a. MDCCCIC. Hi aegagri omnes suis quisque continentur finibus neque usquam alibi ibex Alpinus invenitur nisi in Alpibus, Pyrenaicus nisi in Hispania, Caucasicus nisi in Caucaso. Nullo igitur pacto fieri potest, ut pellis, quam Eumaeus possidet Od. l. XIV v. 50, ibicis fuerit, ut Ameis, Buchholz (p. 163), Koerner (p. 48) arbitrantur. Neque magis hic αἲξ ἄγριος esse potest Caucasicus, quae aliorum sententia est, ut Friedreichii.

Unice igitur verum est, illum, quem Pandarus confecit, αἶγα ἄγριον aliam esse aegagrorum speciem, capram aegagrum, quem Persae pâzan, physici vocabulo Persico pâzahr, quod idem valet atque remedium contra venenum, corrupto usi bezoarticum vocant vel Asiaticum. Haec enim caprarum ferarum species ab eis, quas supra dixi, ea maxime re differt, quod sedes eius latissime patent. Invenitur enim per totam Asiam quam nunc minorem vel citeriorem appellant montesque Taurum et Antitaurum, per Armeniam et Caucasum usque ad terras trans mare Hyrcanum sitas et Parapanisum. Quam primus ex huius aetatis hominibus doctis Paulus de Tchichatschov denuo videtur quasi detexisse, qui cum ossa et cornua eius a. MDCCCXXXXVI Fr. Brandtio illustrissimo Academiae Petropolitanae socio ad praecepta artis examinanda misisset, in altera parte libri qui inscribitur Asie mineure. Description physique, statistique et archéologique de cette contrée, Parisiis emissa a. MDCCCLVI a p. 669 usque ad 688 de hac fera disseruit. In Cilicia eandem venatus mores eius describit Th. Kotschy primum in Actis societatis zoologicae et botanicae Vindobonensis a. MDCCCLVI emissis vol. IV, p. 201 sqq., deinde in Annalibus geographicis a C. Neumanno eodem anno editis p. 121 sqq., denique in libro qui inscribitur Reise in den cilicischen Taurus ueber Tarsus a. MDCCCLIII Gothae emisso quinque annis post hoc iter confectum p. 94, 196, 216, 261. In Phrygia magna venationes aegagrorum nuper descripsit E. N. Buxton, homo Anglus, in libro qui inscribitur Short stalks, edito Londini iterum a. MDCCCXCIII. In Pamphylia Lyciae confini, ad quam τὰ Σόλυμα montes pertinent, non procul a monte Massicyte, quem Strabo commemorat l. XIIII, c. 379, p. 666, C. G. Danford, ipse quoque homo Anglus et indefessus doctusque venator, cum huic venationi operam dedisset, accuratissime de hac aegagrorum specie disseruit in Actis societatis zoologicae Londinensis, quae Anglice inscribuntur Proceedings of the scientific meetings of the Zoological

Society of London for the year 1875, p. 458—468; for 1877, p. 271; P. L. Sclater ib. a. 1886 p. 315 cum tabula XXXI. In ipsa autem Lycia inveniri hunc aegagrum E. Petersen et F. de Luschan referunt in insigni illo libro qui inscribitur Reisen in Lycien, Milyas und Kibyratis vol. II a. MDCCCLXXXVIIII emisso p. 215 sqq.; esse enim ibi gentem quandam sine certis sedibus passim vagantem, qui Turcice Iürüki vocentur, peritissimi aegagrorum venandorum, quorum e cornibus fabricatis instrumentis ad signa danda aptis utantur. De eisdem copiose atque accurate in Encyclopaedia quam supra commemoravimus vol. VIII, emisso a. MDCCCLXXXXIIII, a p. 452 usque ad 457 disserit G. Radde, qui intra viginti tres annos fere sexaginta huius generis feras se confecisse ait. De capris denique feris, quae in quibusdam Graeciae insulis sunt, et de ratione, quae inter has et reliquas caprarum aegagrorum species intercedat, doctissime disputat Lorenz de Liburnau in libro qui inscribitur Wissenschaftliche Mitteilungen aus Bosnien und der Hercegowina, herausgegeben vom Bosnisch-hercegowinischen Landesmuseum in Sarajewo, vol. VI Vindobonae emisso a. MDCCCLXXXXVIIII a p. 851 usque ad 887. Huic quoque commentationi variarum caprarum imagines pulcherrime depictae additae sunt.

Proponamus ante oculos imaginem aegagri, quae in Buxtoni libro est.



Sicut autem apud Babrium fab. XXXXV caprae ferae, in quas caprarius incidit,

οὐκ ἔμειναν, ἀλλ' ὀρῶν ἀβοσκήτων
ἀνέμβατον δρυμῶνα ποσσὶν ἠρεύνων,

ita certissima rerum fide nititur, omnibus huius generis feris hoc esse praecipuum a natura datum, ut in altissimis montium iugis rupibusque aditu paene carentibus degant. Neque ullam dubitationem, quin hoc verum sit, afferre potest, quod Danford ait cognosse se in locis oppido Pamphyliae quod nunc Adratschan vocatur, ad sinum qui ab Attalia oppido nomen traxit, sito vicinis, ubi montes non sint nimis alti, hanc feram interdum usque ad oram maritimam descendere; nam idem dicit p. 462, in praeruptis illis montibus summum cacumen, quod Turcae nunc Akdagh appellent, unde scilicet illae caprae decurrunt, ad altitudinem decem millium passuum attolli. Descendere praeterea ait aestate fere solas feminas catulosque, hieme omnes sese recipere in montes duo millia passuum altos vel altiores. Is autem, quem Pandarus confecit, mas erat.

Eadem fere locorum natura est, ubi Buxton venandi causa versatus est. Montes enim, qui medii fere sunt inter Colossas et Celaenas oppida, quamquam minus sunt alti, tamen non procul absunt ab eis, quos W. I. Hamilton in libro qui inscribitur Itinera per Asiam suscepta vol. I p. 458 ed. german. ait magna esse altitudine; nunc ML metra altos esse scimus. Qui quam sint saxosi, imagines eorum locorum pulcherrime pictae demonstrant, quas libro suo interposuit p. 196, 209, 214. Memorabilis autem res est, ibi aegagros inveniri, cum per vallem, quae sub montibus illis est, nunc via ferrata sit.

Aegagrum autem illum cum Pandarus ferit, Homerus facit πέτρης ἐκβαίνοντα, ut veri simile sit rem inter alta saxa gestam esse. L. enim XV v. 271 sqq. eadem est rerum conditio; legitur enim

οἳ δ' ὥστ' ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα
ἐσσεύαντο κύνες τε καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται·
τὸν μέν τ' ἠλίβατος πέτρη καὶ δάσκιος ὕλη
εἰρύσατ', οὐδ' ἄρα τέ σφι κιχήμεναι αἴσιμον ἦεν,

τὸν μὲν autem ad unum aegagrum pertinere arbitror, cum vix fieri possit, ut quae vocabulo καὶ coniuncta sunt, ita dirimantur, ut πέτρη ad hunc, δάσκιος ὕλη ad cervum referatur. Contraria res est Hesiodi Scut. v. 407 αἰγὸς ὀρεσσινόμου ἢ ἀγροτέρης ἐλάφοιο, πίονος, ἥν τ' ἐδάμασσε

κτλ., hoc enim ad unam cervam pertinet, quae gravi vulnere icta tamen effugit longeque ab eo loco, ubi venator eam percussit, moritur. Quintus quoque Smyrnaeus Posthom. l. XI v. 483 ὃ δ' ἐκ πύργοιο, inquit, κατήριπεν, εὖτ' ἀπὸ πέτρης ἄγριον αἶγα βάλῃσιν ἀνὴρ στονόεντι βελέμνῳ. Ceterum ex illo loco discimus ad aegagros venandos veteres canibus quoque uti solitos esse, cuius rei Argus quoque Ulixeus documento est, de quo infra dicetur.

A Zelea autem, quod oppidum fere LXXX stadia a proximo mari, quo Aesepus se effundit, distare Strabo dicit l. XIII, c. 1, § 10, alti montes procul absunt. Ei enim, quos οἱ μὲν τὰ ἐν Πειρωσσῷ ὄρη φασὶν ἃ ἔχουσιν οἱ Κυζικηνοὶ τῇ Ζελείᾳ προσεχῆ, ἐν οἷς βασιλικὴ θήρα κατεσκεύαστο τοῖς Λυδοῖς, καὶ Πέρσαις ὕστερον, sicut Strabo dicit § 17, p. 589, ob id ipsum altitudine insignes fuisse non possunt idemque § 45, p. 603 Demetrii Scepsii verba affert, qui τὰ τῆς Ζελείας πεδία καὶ ὀροπέδια καλῶς γεωργούμενα commemorat. Hac autem aetate Sperling itinere Cyzicum atque in vallem Aesepi facto, quod in C. Neumanni Annalibus geographicis vol. VIIII, p. 1 sqq. describit, auctor est eos montes, in quorum radicibus Zelea sita sit, satis quidem ubique esse declives, sed ne hic quidem altos eos esse dicit. Peregre igitur Pandaro proficiscendum erat, si tantae praedae cupidus erat.

Sed O. Keller duo adfert testimonia, quibus fuisse antiquissima aetate aegagros in Troade probetur, alterum miri cuiusdam antiquitatis monumenti, alterum litterarum. Monet enim figuris quibusdam, uni ex magno numero verticillorum a Schliemanno in ipso loco, ubi Troia erat, effossorum, qui in libro qui inscribitur Ilios numero 1883 notatus est, insculptis significari hominem, cervum cervamque et aegagrum. At ut omittam, illa animalium lineamenta adeo infabre et paene pueriliter esse facta, ut Schliemanno ipsi tres cervi esse visi sint, tamen si aliquid inde licet conicere, mihi quidem permissum sit rem aliter interpretari. Veri enim quam maxime videtur simile, hominis figura opificem imperitum significare voluisse venatorem, sublatis eius manibus, telum in illas feras emissurum. Quae si recte ponimus, quid praeter hominem et feras desiderari putemus? Videlicet canem. Neque infitias iverim, quae e capite tertii animalis sursum ductae sunt lineae, eis cornua aegagri posse significari. Sed tanta videtur necessitas canem adesse, ut rudem hac quoque in re artem accusare malim, qua factum est, ut aurium caninarum longitudo nimia esset. Atque vult Xenophon Cyneg. l. IV, c. 1 canis venatici τὰ ὦτα μακρά, λεπτά, ψιλὰ ὄπισθεν esse. Accedit, quod cauda ea, qua tertium illud animal

insigne est, ab aegagro abhorret atque canem potius decet; idem enim Xenophon esse canes ait, quae venantes συνάγουσι τὰ ὦτα καὶ ἐπισκυθρωπάσασαι διὰ τοῦ ἴχνους σχάσασαι τὴν οὐρὰν καὶ φράξασαι διατρέχουσιν.

Neque magis aegagros in Troade fuisse documento sunt minutissimae animalium imagines in Novo quod dicunt Ilio a Schliemanno repertae, quas p. 691 et 692 vides, si quidem sunt aegagrorum, nam ne punctulo quidem addito barba significatur. Sed hae imagines non minus e longinquo advectae esse possunt, quam musivum illud opus, quod aegagri imaginem habet (apud Kellerum p. 45), Halicarnassi repertum; neque enim dubium esse potest, quin neque in agro Halicarnassensi neque in locis prope hunc sitis unquam aegagri inventi sint.

Nicandri autem alterum est testimonium. Qui quae Theriacon v. 668 sqq. docet—nam Alexipharmacon v. 36 sqq. huc non pertinent—haec Eutecnius his verbis interpretatur. Alcibius quidam, inquit, περὶ τὸ Φαλάκραιον ὄρος καὶ Κρύμνην καὶ Γράσον, ἅπερ ἐστὶν ἄπεδα χωρία τῆς Τροίας, ἐκυνηγέτει φιλοχωρῶν· ἐνταῦθα λειμῶνα δείκνυσθαι τοῦ δουρείου ἵππου· κυνηγετοῦντος δ' οὖν αὐτοῦ καὶ ἐπικελεύοντος τὴν Λάκαιναν (apud Nicandrum est 'Αμυκλαίαν) ἐλθεῖν κύνα κατ' αἰγὸς ἀγρίου, προελθούσης ὀλίγον τῆς κυνὸς. καὶ κατὰ στίβον ἐρχομένης ἧς μετῄει θήρας, ἡ Λάκαινα παίεται ὑπ' ἐχίδνης. Hoc testimonium Nicandri, qui vereor ut omnium, de quibus scribit, rerum peritus fuerit, vel ob hanc causam fide non esse dignum apparet, quod aegagri—nam ita recte Eutecnius Nicandri αἶγα interpretatur—venationem in campestribus locis fieri dicit, ubi dammae vel cervi vel dorcades inveniuntur, non aegagri.

Quam proxime igitur fieri potest ad veritatem accedere mihi videtur, si quis neget unquam in Troade a quoquam aegagrum interfici potuisse.

Fortasse dixerit quispiam, antiquissimis illis temporibus cum hae ferae minus peterentur ab hominibus minusque inculti agri essent, homines eis minus fuisse periculosos propiusque eas ad eorum domicilia venisse. At Homeri aetate iam ad id redacta erat res, ut nusquam nisi in insula remotissima et prorsus inculta nondum vexatae essent, sicut est Od. VIIII v. 117

(νῆσος) ὑλήεσσ'· ἐν δ' αἶγες ἀπειρέσιαι γεγάασιν
ἄγριαι· οὐ μὲν γὰρ πάτος ἀνθρώπων ἀπερύκει,
οὐδέ μιν εἰσοιχνεῦσι κυνηγέται, οἵ τε καθ' ὕλην
ἄλγεα πάσχουσιν κορυφὰς ὀρέων ἐφέποντες.

In ipsam igitur Lyciam ut proficisceretur, contendo Pandarum ve-

nandi studio adductum esse. Neve quis miretur, tam longum iter eum suscepisse, et Bellerophontis meminerit, a Proeto Ephyrae rege, Lyciae regis cuiusdam genero, pulsi atque eodem profecti, sicut est Il. l. VI v. 152 sqq., et nihil esse tam arduum, quod homines non audeant, cum illa cupiditate rapiuntur et trahuntur. Neque fabulam narrabit, sed rem si non veram, at veri quam maxime similem, si quis dixerit, iuvenem eum domi reliquisse coniugem teneram. Alios enim, sicut Sarpedonem l. V v. 480 et 688 et Hectorem l. VI v. 365 domi manet ἄλοχός τε φίλη καὶ νήπιος υἱός, Pandarus autem sperat l. V v. 213 reversum se visurum esse

πατρίδ' ἐμὴν ἄλοχόν τε καὶ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα,

Hyperenoris similis, occisi a Menelao, qui οὐδ' ἧς ἥβης, inquit, ἀπόνητο l. XVII v. 25 et οὐδέ ἕ φημι πόδεσσί γε οἷσι κιόντα εὐφρῆναι ἄλοχόν τε φίλην κεδνούς τε τοχῆας. Quod Euphorbus confirmat v. 36 dicens: χήρωσας δὲ γυναῖκα μυχῷ θαλάμοιο νέοιο, ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας. Pandarus autem aliquamdiu in Lycia commoratus ibique arte venandi atque sagittandi tantam adeptus laudem, ut Troiae quoque in summam gloriam eum venisse Aeneas testaretur et Sthenelus l. V, v. 173 et 245, cum Apollinis, ut arbitrabatur, instinctu ad bellum Troianum proficisci constituisset, Zeleam reversus adeo arti suae confidebat, ut equis, quibus idem maxime delectabatur, domi relictis uno cum arcu Troiam demigraret.

Cum igitur Homerus neque ipse Pandarum vel socios eius appellet Lycios neque Pandarum suos hoc nomine faciat alloquentem, consequitur, ut l. IIII v. 197, ubi legitur

ὅν τιν' ὀιστεύσας ἔβαλεν τόξων εὖ εἰδὼς
Τρώων ἢ Λυκίων,

et l. VI v. 78, ubi

Αἰνεία τε καὶ Ἕκτορ, ἐπεὶ πόνος ὔμμι μάλιστα
Τρώων καὶ Λυκίων ἐγκέκλιται,

Lycii Sarpedonis et Glauci, ut principes ἐπικούρων, quibus Homerus manifesto priores defert partes, sint intellegendi. Neque minus dubium, quin Hectoris versus

Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί

eosdem spectet, non socios Pandari, praesertim cum ter oratio quae

ab hoc versu incipit, convertatur ad Troianos et Lycios — Τρωσί τε καὶ Λυκίοισιν ἐκέκλετο—, l. XI v. 285, l. XV v. 424, 485, ter l. VIII v. 172, l. XIII v. 149, l. XVII v. 183 ad unos Troianos— Τρώεσσιν ἐκέκλετο. Duobus enim nominibus Troianorum et sociorum addit nomen Dardanorum, quippe quos antiquiorem urbem Troia incolentes, sicut est l. XX v. 216, in praecipuo honore habeat. Itaque non nisi ordine nominum hic versus differt ab illo

κέκλυτέ μευ, Τρῶες καὶ Δάρδανοι ἠδ' ἐπίκουροι,

qui est l. III v. 456, l. VII v. 348 et 368, l. VIII v. 497.

Ita demum recte intellegitur, qua de causa Minerva Pandarum moneat v. 101 εὔχεο Ἀπόλλωνι λυκηγενέι, hic illi obsequatur v. 119; hunc enim praesidem Lyciae deum in eadem terra sibi propitium expertus Zeleae quoque venerabatur sacra faciendo; neque Zelea unus ex illis locis erat, ubi Servius ad Vergilii Aen. l. III v. 85 tradit hostias non esse caedi solitas, sed consuetudinem fuisse deum sollemnitate precum venerari. Quem cum apud Homerum Graeci precantur, ut Teucer et Meriones l. XXIII v. 863 et 872, is aut ἄναξ appellatur aut ἑκηβόλος Ἀπόλλων. Conf. Arrian. de ven. c. XXXV.

Hoc quoque nunc demum illustratur, quod Strabo memoriae prodidit l. XIIII, c. 3, § 5, p. 665. Pinaris enim, quod unum ex maximis Lyciae oppidis erat in radicibus Cragi montis altissimi situm, Pandaro ait etiamtum cultum tribui. Quod autem addit τυχὸν ἴσως ὁμώνυμος τῷ Τρωικῷ, καὶ γὰρ τοῦτον ἐκ Λυκίας φασίν, nos quidem, qua ratione in errorem sit inductus, scimus neque ad ullam homonymiae ratiunculam confugere necesse est.

Nunc denique spero sublatam esse illam διαφωνίαν miramque duarum nationum homonymarum in eodem poemate coniunctionem, de qua G. Christ acute sane disserit Actorum Academiae Monacensis vol. II a pag. 158 usque ad 171, a. MDCCCLXXXI emisso et Prolegomenis ad Iliadem tribus annis post editis p. 49 sq. Neque enim duplices in Iliade inveniri Lycios demonstrasse me spero neque miror, quod Diomedes l. VI v. 123 negat se antea vidisse in proelio Glaucum. Huius enim rei eadem est ratio quae τειχοσκοπίας.

Species autem quasdam caprarum ferarum cum corporum tum maxime cornuum amplitudine aliquanto inferiorum Asiaticis et antiquis temporibus generarunt et nunc generant Creta et Samothracia insulae. Atque in Creta quidem iam fabula illa docemur Iovem infantem a fera capra nutritum esse; deinde est testimonium Aristotelis Hist.

An. l. VIIII, c. 6, § 42, quem Cicero in libro De Nat. Deor. II c. 50 § 126 et alii sequuntur. Quorum naturam nostra aetate diligentissimi viri Erhard et L. de Liburnau descripserunt, ille pilorum colore a ceteris diverso commotus eos aegagros pictos, hic capras aegagros Cretenses appellandos censuit. Huius generis gregem in vivario suo prope oppidum, quod olim Fanum S. Viti ad flumen, nunc Fiume appellatur, ali a B. Whitehead, homine nobili Anglo, auctor est L. de Liburnau, qui abhinc quatuor annis eos, numero sedecim, vidit. De Cretensibus aegagris putaverim Homerum audivisse, cum Odysseae l. VIIII v. 154 insulam illam neque longe a Cyclopibus neque prope distantem, silvis obsitam, plenam esse diceret innumeris feris capris.

Idem illa rerum naturae peritia et scientia, quae ubique elucet, destitutus esse videretur, si hanc insulam planam esse diceret. Neque enim fieri potest ut caprae ferae in campestribus locis unquam inventae sint, qua de causa Aristarchi λάχεια melius est quam Zenodoti ἐλάχεια Od. l. VIIII v. 116 et l. X v. 509, neque parva eadem potest dici, cum prata inesse terramque ad vineas et ad arandum aptam poeta dicat v. 132 sqq. Immo vero celsam eam esse et asperam et res ipsa docet et Apollonius Rhodius. Qui Argonauticorum l. II v. 695 Homerum imitatus οἳ δ' ἀνὰ νῆσον, inquit, ἐδίνεον ἐξερέοντες, εἴ κέ τιν' ἢ κεμάδων ἢ ἀγροτέρων ἐσίδοιεν αἰγῶν, οἷά τε πολλὰ βαθείῃ βόσκεται ὕλῃ· τοῖσι δὲ Λητοΐδης ἄγρην πόρεν, hanc autem insulam recte dicit αἰπήεσσαν v. 721, sicut Homeri exemplo usus ἐρημαίην v. 672. Etiam hymni in Apollinem v. 197, ubi Diana οὔτ' αἰσχρὴ οὔτ' ἐλάχεια, sed μάλα μεγάλη τε ἰδεῖν καὶ εἶδος ἀγητή dicitur, ἐλάχεια idem esse potest atque 'horrida'.

De Samothraciis autem capris reliquum est ut pauca dicam coniecturae I. G. Schneideri immerito oblivione obrutae memoriam redintegraturus. Legitur enim Varronis Rerum Rusticarum l. II, c. 1, § 5: 'etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, ab ovibus, ut in Phrygia, ubi greges videntur conplures, in Samothrace caprarum, quas latine rotas appellant. sunt enim in Italia circa Fiscellum et Tetricam montes multae'. Haec enim est eius sententia, homines de summo vivendi gradu paullatim descendisse ad secundum pastoricium, deinde ad tertium, agri culturam, sed ex duobus gradibus superioribus multa retinuisse, exemplisque utitur feris ovibus et capris; capras feras illa aetate superesse in Samothracia et Italia. Expectaveris igitur, Varronem dicturum esse, quo nomine Graeco utantur, Latine enim capras feras eas nominari ipse dicit. Immo vero

addit latinum nomen. Hanc rem cum alii viri docti admirati sunt, tum I. G. Schneider, qui in Scriptorum Rei Rusticae Veterum Latinorum vol. I, p. 2, p. 392 negans intellegi posse, quomodo caprae illae fando tantum notae Romanis scriptoribus latine potuerint appellari, et rotae quidem, Varronem scripsisse putavit 'quas strepsicerotas appellant'. Atque hoc quidem unice verum puto, quamquam vir doctissimus atque sagacissimus statim in errorem delapsus est, cum dicat hoc genus ovis vulgari maius differre ab eo etiam cornibus erectis, intortis seu contortis, habitare montosa Cretae, insularum Archipelagi, Hungariae Wallachiaeque usque ad Austriam. Nam de capris agitur, non de ovibus. Samothraciae autem στρεψικέρωτες rectissime poterant appellari. Cum enim nunc quoque in montibus huius insulae ad altitudinem MDC metrorum sese attollentibus inveniantur atque complures vel vivae vel interfectae Athenas essent allatae, hoc certo potuit definiri, eas et pilorum colore et forma cornuum simillimas esse eis, quae in Gerontia insula inveniuntur, cuius rei auctor est Krueper apud L. de Liburnau p. 859. Quodsi contempleris cornua sexennis maris, quorum imago apud eundem est p. 855, et alterius, cuius imago p. 860, eandem fere speciem praebentia, non dubitabis confiteri, aptissimam esse hanc illarum caprarum appellationem. Alii quoque strepsiceroti eadem convenit, quem addacem ab Africa appellari Plinius dicit Nat. Hist. l. XI, c. 37, § 124 (coll. VIII, c. 53, § 214), cuius cornua erecta rugarumque ambitu contorta et in leve fastigium exacuta dicit, ut lyras decorent.

Deli quoque feras capras fuisse viri docti putant. Est enim in Anthologia Palatina (VI, 121) Callimachi epigramma (LXIII ed. O. Schneideri) hoc:

Κυνθιάδες, θαρσεῖτε· τὰ γὰρ τοῦ Κρητὸς Ἐχέμμα
κεῖται ἐν Ὀρτυγίῃ τόξα παρ' Ἀρτέμιδι,
οἷς ὑμέων ἐκένωσεν ὄρος μέγα· νῦν δὲ πέπαυται,
αἶγες, ἐπεὶ σπονδὰς ἡ θεὸς εἰργάσατο.

At hic poetae umbratici lusus est. Cum enim Echemmas Cretensis sit, in montibus Cretae insulae eum in capris venandis versatum esse apparet; cum arcum Dianae dedicatum dicit nunc quiescere, sicut Simonides in epigrammate, quod est Anthol. Pal. VI, c. 2, vel sicut Catullus c. IV de phaselo, qui 'nunc recondita senet quiete seque dedicat tibi, gemelle Castor et gemelle Castoris',—vide Ulixis quoque παῦσαι τόξον Od. l. XXI, v. 279—ne quid timeant ab eo, hortatur ca-

pras in Cynthio Deli monte pascentes, quas sub Apollinis tutela esse dicit hymno II v. 50:

οὐδέ κεν αἶγες
δεύοιντο βρεφέων ἐνιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων
βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν.

Ὑμέων autem dicit, quod domesticae, quae Deli pascuntur, et ferae, quae magno in monte Cretae sunt, uno tamen quasi genere continentur. Denique quis unquam crediderit, in monte Cynthio, qui cum CVI tantum metra altus sit, ὄρος μέγα non potuit appellari, Callimachi aetate feras capras fuisse, quis in insula tanta undique convenientium frequentia insigni, tanta religione praedita quemquam vel feras vel domesticas capras venatum esse et interfecisse? Ubi ne canes quidem alere licuisse Strabo auctor est l. X, c. 5, § 5, p. 486.

Deinde O. Keller ex eo, quod in Rhodo atque in Cypro multae ferarum caprarum imagines in monumentis antiquitatis expressae sunt repertae, recte colligit, in his quoque insulis antiquitus illas feras fuisse. In Rhodo L. Ross quoque auctor est in libro de itineribus per insulas Graecas factis vol. III, p. 106, se tres vidisse capras efferatas.

Rursus cum nunc quoque in nonnullis aliis Graeciae insulis eaedem inveniantur, viri docti non sine veritatis specie opinantur eas iam antiquitus ibidem fuisse. Atque primum quidem breviter commemorabo eas insulas, de quibus quod meliorem scientiam consecuti sumus, cum Erhardo, tum maxime L. de Liburnau et auctoribus, quibus hic usus est, de bemus. Inveniuntur autem in Gerontia, una e numero Sporadum, quae nunc Giura appellatur, et in Antimelo, una e Cycladibus, quae nunc Erimomilos, unde L. Ross imaginem caprae aegagri lapidi incisam Melum translatam ibique repertam divulgavit libri quem supra diximus p. 21, 24. De his cum testes locupletes L. de Liburnau habuerit C. Reiserum et J. Knotekum, qui ad id ipsum in Gerontiam et Antimelon profecti erant, ut naturam harum ferarum perscrutarentur, eas quidem, quae in Antimelo sunt, ad similitudinem Cretensium proxime docet accedere, illas et feris et domesticis capris, quae aestate pastum eodem transvectae sint, usas esse parentibus. Idem auctoritatem K. G. Fiedleri secutus in Scyro et in Polyaego insula, quae nunc Polinos vocatur, Erhardi in Gyaro, quae nunc Gioura dicitur, refert feras capras esse a domesticis oriundas, ab eodem tradi, feras esse in Icaro, quae nunc Nicaria, in Peparetho, quae nunc Scopelos vocatur, in Naxo. Cum igitur

tam late pateant fines, ut ita dicam, harum ferarum ὀρεσχῴων, ut est Od. l. VIIII v. 155, non videtur dubium quin ad capras sit referendum vocabulum αἰγίλιψ, quod est Il. l. VIIII v. 15, XVI v. 4, XIII v. 63, II v. 633, cuius altera pars fortasse pertinet ad illud λίπτω, ἐπιθυμῶ, unde λελιμμένος ortum est Aesch. Sept. v. 355 et 380, ut sit: 'quae a capris peti solet'; nescio quomodo in cogitationem venit illud Varronis, hominis satis ieiuni, gregibus caprinis rupes et silvas ad pabulandum cordi esse Rer. rust. l. II, c. 10, § 3.

Denique cum Homeri certe aetate ferae caprae in Ithaca nullo modo esse potuerint, mirum videtur, unde Eumaeus pellem illam acceperit, mirum, quo Argum canem Ulixis αἶγας ἐπ' ἀγροτέρας iuvenes, inter quos scilicet ipse Ulixes erat, educere soliti sint, ut est Od. l. XVII v. 294. Venit in mentem, in eiusdem generis insulas parvas, cultoribus vacuas, cum necopinato incidi in ea, quae O. Reiser apud L. de Liburnau p. 883 refert. Cum enim in Oxea insula commoraretur, se audisse ait ab incolis eius, patrum memoria ibi quoque capras fuisse efferatas, sed eas ab Ithacensibus huc transvectis ad internecionem esse redactas. Neque longe absunt a regno Ulixis hae insulae ὀξεῖαι, quas Strabo l. VIII, c. 3 § 26 easdem esse putat quas Homerus θοὰς appellat Od. l. XV v. 299 et πάσας λυπρὰς καὶ τρηχείας dicit. Itaque hac quoque in re mos patrius ad hoc usque saeculum videtur mansisse.

Sicut autem Eumaeo illa pellis straguli vice fungitur, ita F. Knotek auctor est (apud L. de Liburnau p. 857), Gerontiae insulae incolas pellibus ad caseum ovillum asservandum uti, Radde (p. 457), in Svanetia vinum in illis asservari, Kotschy (p. 205), Cilices utros saccosque e pellibus aestate detractis conficere, eisdem quamvis acriter olentibus innitentes genibus ut Mohammedi religionis cultores precationes facere.

C. Boner, homo Anglus venandi studiosissimus, qui in libro qui inscribitur Thiere der Waldes, Lipsiae a MDCLXII edito, de Homero agit ut venatore (p. 191—203), hunc poetam ait in describendis quibusdam feris, apris, cervis, leonibus moribusque earum, cum impetus in eas fiant, adeo accurate versari adeoque omnia ad verum exprimere, ut naturam ferarum diligentissime observasse et optime cognosse videatur. Quod exemplis e multis carminibus Iliadis sumptis comprobat eandemque veritatem esse demonstrat per totum poema epicum. Quin etiam ex ea re colligit, illud unius hominis ingenio esse fictum. Cuius rei licet non satis manifesta sit fides, tamen quae de veritate Homeri dicit, verissima esse haec quoque documento sunt, quae de Pandaro narrat.

Hic enim aegagro insidiatur δεδεγμένος ἐν προδοχῇσιν. Solent autem aegagri prima luce in altiora montium ascendere et cum sol occidit, in inaccessas rupes regionis saltuosae redire ibique noctem degere. Id quidem Tschudi, Radde, Brehm tradunt. In Cilicia, ubi in ea regione montana versantur, quae silvis vestita in altitudinem MMMMCCCC pedum supra mare attollitur indeque montes Alpibus similes supereminent, Kotschy auctor est morem esse eorum, ante solis occasum e cubilibus, ubi delituerint, altiora petere, ortu solis in saxa saltuum vix pervia reverti, ut interdiu in umbra quiescant. Pasti cum de cacuminibus montium in saltus deproperent, alioquin ad omnia pavidissimos interdum impavide ad venatorem in margine silvae constitutum accedere, ut feriendi potestas sit. Sed cavendum, ne forte eum aut odorentur aut exaudiant, id quod facile fieri possit, cum omnia eius generis animalia ut auditu acerrimo, ita sagacissimo odoratu sint. Et hac quidem de re omnes consentiunt, qui harum rerum periti sunt. E Knoteki sententia aegagri oculorum atque aurium acie paene superant antilopas rupicapras, cautione et calliditate pares sunt, enitendi per saxa arte multo superiores. Deinde una et consentiens omnium vox est, nisi venator adverso utatur vento et in superiore loco, quam fera, constiterit, nunquam illam ad teli coniectum venire. Accidisse Kotschy narrat, ut venatorem trecentis passibus distantem odorarentur. Itaque monet, ne quis gravetur complures dies nequicquam summos obire montes; quosdam venatores feram decennem secutos post summos quinque dierum labores non assecutos esse quod voluissent; quamquam sex adultos mares conspexissent, tamen eis non contigisse, ut tam prope accederent, ut eos ferire possent. Sed paene semper venatores quosdam indigenas reperiri, qui ea loca sciant, ubi aegagri commeare soleant vel bibendi vel terrae gustu salsae delambendae causa. Atque est haec salis aviditas adeo harum ferarum propria, ut minime mireris quod legitur apud scholiastas ad l. IIII v. 105: ἰξάλου, τοῦ ἱκνουμένου ἐπὶ τοὺς ἅλας.

Itaque Pandarus quoque multum et temporis et operae in loco ad insidias apto inveniendo consumpsisse putandus est. Ceterum similis eius est Hercules Theocriteus, qui Id. XXV, v. 227 dicit:

αὐτὰρ ἐγὼ θάμνοισιν ἄφαρ σκιεροῖσιν ἐκρύφθην
ἐν τρίβῳ ὑλήεντι δεδεγμένος ὁππόθ' ἵκοιτο (λέων).

Ferit autem ille aegagrum ὑπὸ στέρνοιο πρὸς στῆθος. Vocabulo στέρνον, quod ut frequens est apud Homerum et poetas epicos tragicos-

que, ita apud alios raro invenitur, de hominibus Homerus fere eandem sententiam subicit, quam vocabulo στῆθος. ut l. XIII, v. 282 ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει et l. VII, v. 216 θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πατάσσει, l. IV, v. 528 βάλε δουρὶ στέρνον ὑπὲρ μάζοιο et l. VIII, v. 121 βάλε στῆθος παρὰ μαζόν, l. V, v. 40 στρεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξεν ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν et l. XV, v. 541 βάλε δ' ὦμον ὄπισθεν· αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο.

Equorum autem στέρνα commemorantur l. XXIII, v. 365 ὑπὸ δὲ στέρνοισι κονίη ἵστατ' ἀειρομένη, et v. 507 πολὺς δ' ἀνεκήκιεν ἱδρὼς ἵππων ἔκ τε λόφων καὶ ἀπὸ στέρνοιο χαμᾶζε, ovium Od. l. VIIII, v. 443 ὥς οἱ ὑπ' εἰροπόκων ὀίων στέρνοισι δέδεντο socii Ulixis. Cum autem v. 433 Ulixes dicat λασίην ὑπὸ γαστέρ' ἐλυσθεὶς κείμην, Duentzer inde colligit, στέρνον idem esse quod γαστέρα. Sed hoc quidem manifestum est, στέρνον esse partem στήθους. Στῆθος enim latius patere inde apparet, quod Aristoteles, apud quem στέρνον uno tantum loco invenitur, Problem. p. 905, eo quem supra diximus loco τὸ στῆθος quadrupedum dicit τὸ μεταξὺ τῶν ἐμπροσθίων σκελῶν. Quodsi consideraveris, Homerum solere dicere, χαλκὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλών l. V, v. 317 et 346, στήθεϊ δ' ἐν δόρυ πῆξε l. XV, v. 650, ἰὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλοῦσα Od. l. XX, v. 62, Il. l. XIII, v. 438 στῆθος μέσον οὔτασε δουρί, l. XV, v. 250 βάλε χερμαδίῳ πρὸς στῆθος, v. 420 κατὰ στῆθος βάλε δουρί, v. 523 στῆθος μέσον οὔτασε, l. XXI, v. 424 πρὸς στήθεα χειρὶ παχείῃ ἤλασε, Od. l. XXII, 286 βεβλήκει πρὸς στῆθος, sed Il. l. XV, 542 αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο, ea pars pectoris, quae extra est, ab Homero στῆθος, ea, quae intus est et primis costis circumscribitur, στέρνον vel στέρνα dici recte videbitur. Neque repugnat, quod legitur l. V, v. 41, 57, VIII, v. 259, XI, v. 448 στρεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξεν ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν (conf. Od. l. XXII, v. 93), nam hic telum a tergo coniectum totum pectus dicitur percutere, neque l. XXII, v. 284, ubi Hector οὐ μέν μοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξεις, ἀλλ' ἰθὺς μεμαῶτα διὰ στήθεσφιν ἔλασσον dicit. Quod supra diximus, confirmari videtur his locis: l. XVIII, v. 31 et 50 χερσὶ δὲ πᾶσαι στήθεα πεπλήγοντο et Od. XX, v. 17 στῆθος δὲ πλήξας, Il. l. XVIII, v. 414 ἀπομόργνυ στήθεα, l. XVIIII, v. 285 χερσὶ δ' ἄμυσσεν στήθεα, XXIII, v. 727 ἐπὶ στήθεσσι κάππεσε, ubi de exteriore pectoris parte agitur; in his poeta nunquam utitur vocabulo στέρνον. Confirmatur denique hac quae apud Oribasium est (ed. Darembergii vol. III, p. 408), definitione: στέρνα (hominis) καὶ πλευραὶ καὶ τῆς ῥάχεως οἱ κατὰ νῶτον σφόνδυλοι τὰ τοῦ θώρακος ἐστὶν ὀστᾶ. Plinius quoque Nat. Hist. l. XI, c. 37, § 207 'pectus',

inquit, 'hoc est ossa, praecordiis et vitalibus natura circumdedit, at ventri, quem necesse erat increscere, ademit. Nulli animalium circa ventrem ossa'. Itaque minus recte arbitror Ch. Darembergium in libello qui inscribitur La médecine dans Homère, Parisiis a. MDCCCLXV edito p. 47 dicere, στῆθος significare toute la circonférence de la cage thoracique, στέρνον autem anteriorem eius partem. Itaque ὑπὸ στέρνοιο, ut ὑπὸ πτέρυγος l. XXIII, v. 875, est 'in ima parte ossium pectoris', πρὸς στῆθος 'adverso pectore icto'. Comparari hac quoque in re potest Apollonius Rhodius Homeri imitator, qui Argon. l. III, v. 279 Amorem inducit ἀβλῆτα ἰὸν e pharetra promentem, quae Medeae ἐνεδαίετο νέρθεν ὑπὸ κραδίῃ, ut est v. 286.

Manifestum igitur est, ὑπὸ στέρνοιο nullo modo significare posse neque 'sub ventre', ut Duentzer vult, quod absurdum est, neque 'in inferiore parte ventris', ut Ameis, uterque scilicet ratus, Pandarum in inferiore loco constitutum ferae in superiore stantis ventrem percussisse. Sed uterque oblitus est demonstrare, quo modo haec concinnari possint cum verbis Homeri, qui adversum pectus percussum esse dicit. Neque magis sciebant, si vulnus esset in ventre acceptum, feram vix fuisse morituram. Omnes enim consentiunt, aegagros, licet non tanta in eis sit vitalitas, quanta in rupicapris, tamen vivacissimos esse. Atque Brehm ipsis pulmonibus transverberatis ait eos aufugere in altissima montium, quo nemo eos sequi possit, Knotek, nisi percussus aegagrus statim moriatur, fere nunquam venatorem eo potiturum esse, raro enim in eum locum, quo enisus ex vulnere moriatur, eum posse sequi. Pandarus autem cum feram ita percuteret, ut statim moreretur, sine dubio cor eius sagitta transfixit.

Hoc enim laesum illico mortem afferre iam Plinius scit Nat. H. l. XI, c. 37, § 182, 184. Nostri re diligentius explorata ima vel latiore parte cordis percussa, de qua est apud Pollucem II, p. 218 ἡ βάσις τῆς καρδίας καλεῖται κεφαλή, grandes venas nervosque discindi neque ullo alio ictu citius mortem afferri docent, ut E. de Dombrowski in libro qui inscribitur Die hohe Jagd, Berolini emisso a. MDCCCIC, p. 119, Wurm ib. p. 49 et 115 adnotationibus, F. de Raesfeld in libro, eodem anno ibidem foras dato p. 332 et 335. Hoc quoque eidem experti docent, si cor sit percussum, feram non quidem semper, sed tamen saepe magno saltu dato resupinam humi cadere. Cum autem ea pars corporis quadrupedum multo angustior sit, quam hominum, id quod iam Aristoteles animadvertit, cum de part. anim. l. IV, c. 10, § 110 dicat τὸ στῆθος... τοῖς τετράποσι διὰ τὴν ἐπὶ τὸ πρόσθιον τῶν κώ-

λων ἔκτασιν ἐν τῷ πορεύεσθαι στενόν ἐστι, repetitque Plinius Nat. Hist. l. XI, c. 37, § 207, eidem hanc corporis partem ut telo petant, eis tantum suadent, qui certo ictu semper destinata se ferire sibi conscii sint neque nimis longe a fera distent.

Apud Theocritum Id. XXV, v. 237 Hercules medium pectus leonis frustra ferit, dicit enim

μεσσηγὺς δ' ἔβαλον στηθέων, ὅθι πνεύμονος ἕδρη.
ἀλλ' οὐδ' ὣς ὑπὸ βύρσαν ἔδυ πολυώδυνος ἰός.

Sub corde autem pulmonem esse Plinius auctor est Nat. Hist. l. XI, c. 37, § 188.

Quamvis autem diversa sit humani corporis compages atque ceterorum animalium, tamen hominis quoque cum pectus feritur, aut cor transfigi aut pulmonem aut iecur docent hi loci: Il. l. XIII, v. 438 στῆθος μέσον οὔτασι δουρί et v. 442 δόρυ δ' ἐν κραδίῃ ἐπεπήγει, l. IV, v. 528 βάλε δουρὶ στέρνον ὑπὲρ μάζοιο, πάγη δ' ἐν πνεύμονι χαλκός, Od. VIIII, v. 301 οὐτάμεναι πρὸς στῆθος, ὅθι φρένες ἧπαρ ἔχουσιν et l. XXII, v. 82 ἰὸν ἀποπροϊεὶς βάλλε στῆθος παρὰ μαζὸν, ἐν δέ οἱ ἥπατι πῆξε θοὸν βέλος. Sed plerumque cum adverso corpore icto vel parte aliqua corporis, velut capite l. XV, v. 434, umero l. XVI, v. 289, brachio, Od. XVIII, v. 396, pectore Il. l. VII, v. 145 et XI, v. 144, vel scuto l. XV, v. 646, Homerus dicit bellantes ὑπτίους πεσεῖν vel καταπεσεῖν vel οὔδει ἐρεισθῆναι, hoc unice efficitur ictus gravitate. Supini etiam cadunt Thoon l. XIII, v. 548, a tergo ictus, et Aretus, l. XVII, v. 523, qui adverso vulnere accepto temere aliquantulum progressus cadit sicut bos.

Od. l. XIIII, v. 50 αἴξ ἄγριος appellatur ἰονθάς, quod sine dubio idem valet quod 'barbatus', quo nomine aegagrus in Caucaso monte Rossice nuncupatur (borodâtsh). Atque est insigne aegagrorum Asiaticorum tam marium quam interdum feminarum, quo manifesto ab ibicibus reliquisque aegagris differunt, longa nigraque barba. Decennis enim cuiusdam maris barba quartam partem metri quod nunc dicunt longa erat, quinque annos nati sedecim centesimas, ut est apud Lorenzum p. 872.

Non minus mira iam veteribus visa est longitudo cornuum huius aegagri, quae ἑκκαιδεκάδωρα Homerus dicit. Nam δῶρον, ut legitur apud scholiastas, est idem quod ὁ παλαιστής, ὅ ἐστιν ἔκτασις τῶν τῆς χειρὸς τεσσάρων δακτύλων, et Vitruvius l. II, c. 3 'doron', inquit 'Graeci appellant palmum', l. III, c. 1 'palmus habet digitos quatuor et

est quarta pars pedis'. Itaque fuerunt qui arbitrarentur, hanc esse longitudinem non unius cuiusque cornus, sed alterius ad alterum additi. Quod ut refelleret, Alexander Cotyaeensis memoriae prodidit Deli esse dicata cornua ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης κριοῦ μὲν δίπηχυ καὶ δακτύλων ὀκτώ, τράγου δὲ πηχῶν δύο καὶ σπιθαμῆς. Haec autem cornua cum Delum essent allata a mari rubro quod Herodotus vel Ἐρυθρὴν θάλασσαν vel κόλπον Ἀραβικὸν appellat, sicut H. Stein docet ad l. I, c. 1, sine dubio fuit capra aegagrus cognomine Beden, qui in Arabia quam Petraeam appellant invenitur. Neque vero nobis hoc testimonio quamvis memoria digno opus est. Si enim Homeri aetate δῶρον sumimus idem valuisse quod postea, utrumque cornu aegagri Pandarici paene singula metra et quartam metri partem longum erat. Id quod non est incredibile. Licet enim paulo minora sint, quae L. de Liburnau dimensus est, cornua capri decennis (p. 872), tamen Danford auctor est (p. 464) esse in Museo Britannico cornua singula metra et vicenas binas centesimas longa, homines autem illa Asiae loca incolentes testari se non raro invenisse sesquialterum metrum longa, Lydekker, vir doctus, cuius in his rebus summa est auctoritas, testatur, sicut est apud Buxtonum p. 194 adn., esse cornua, quorum longitudo singula metra et tricenas ternas centesimas aequet. Itaque minus placet illa δῶρα ad nodos referre, quibus ut ibicis ita aegagri quoque cornua insignia sunt, praesertim cum Radde neget e nodorum numero aetatem horum animalium posse aestimari, nam in provectioribus aetate inferiores nodos saepe attritu prorsus evanescere (p. 454).

Cornua autem aegagri a Pandaro confecti, ut est v. 110,

ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων,
πᾶν δ' εὖ λειήνας χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην.

Quae cum alii tum ipse H. Bluemner in libro qui inscribitur Technologie und Terminologie der Gewerbe vol. II, p. 358 ita intellexerunt, ut tornatorem arcum esse fabricatum putarent ex solis aegagri cornibus inter se coniunctis. Sed St. Fellner necessarie demonstravit hac ratione fieri non posse, ut adeo flexibilis sit arcus, ut eo uti quisquam possit; sed arcui e ligno quodam flexibili confecto ab utraque parte singula cornua insuper fuisse affixa ornamenti gratia. Nam aegagro quoque cornua cava esse et in mucrone demum concreta, sicut omnibus praeter cervos Plinius auctor est Nat. Hist. l. XI, c. 37, § 127. Post Fellnerum alius vir doctus, de Luschan, cum alio loco, tum in Actis societatis, ut nunc dicitur, anthropologiam, ethnologiam

et origines gentium spectantis a. MDCCCIC, p. 230 sqq. copiosa commentatione demonstravit, ad arcum, qui ex solis cornibus inter se coniunctis sit confectus, tendendum vires humanas non suppetere, machinis ad hoc opus esse. Atque Fellneri quidem sententia unice vera mihi esse videtur; hoc monuerim, errare, si quis existimet Homeri aetate tales arcus in omnium usu fuisse. Unus eo utebatur Pandarus.

At Simian poetam et Philostratum maiorem homines docti proferunt testes, quorum auctoritate arcus ex aegagrorum cornibus confici solitos esse demonstretur. Est enim in Anthologiae Palatinae libro VI, c. 113 hoc:

Πρόσθε μὲν ἀγραύλοιο δασύτριχος ἰξάλου αἰγὸς
δοιὸν ἐπὶ χλωροῖς ἐστεφόμην πετάλοις·
νῦν δέ με Νικομάχῳ κεραοξόος ἥρμοσε τέκτων
ἐντανύσας ἕλικος καρτερὰ νεῦρα βοός.

At enim hic mehercule est arcus Pandaricus: ab Homero poeta et grammaticus mutuatus est ἰξάλου αἰγός, κεραοξόος ἥρμοσε τέκτων, ἕλικος, καρτερὰ τόξα (l. VIII, v. 279), νεῦρα βοός (l. III, v. 122 βόεια), minus apte ἀγραύλοιο, quod apud Homerum bovis est proprium et bubulci (Il. l. XVIII v. 162), caprae ferae vix esse potest.

Sed quid est illud ἐπεστεφόμην, quod et ipsum poeta ex Homerico κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο Il. l. I v. 470 mutuatus est? Et Fr. Duebner quidem recte haec intellegere ait unum R. Ungerum, qui cornutos illos silvarum incolas — quo in numero scilicet aegagros quoque esse putat — discurrendo dicat inter arbores et frutices vel ludendo cornibus decutere folia saepius haerentia ipsis (in Annalibus Antiquitatum editis a Bergkio et Caesare a. MDCCCXLIII fasc. 74, p. 585). Quod ut comprobet, Unger primum affert Plinium, sed minus recte; hic enim de re longe diversa loquitur, nam Nat. Hist. l. VIII, c. 32 § 117 cervos ait cornua increscentia durare solis vapore ad arbores subinde experientes. Captique iam sunt, inquit, hedera in cornibus viridante ex attritu arborum, ut in aliquo ligno teneris, dum experiuntur, innata. Qui hac quoque in re auctore utitur Aristotele, qui Hist. An. l. VIIII, c. 5, § 38 postquam dixit ὅταν δὲ μηκέτι πονῶσι πρὸς τὰ δένδρα κνώμενα αὐτά, § 39 ἤδη δ' εἴληπται, inquit, ἀχαΐνης ἔλαφος—sed quae species cervorum haec sit, incertum — ἐπὶ τῶν κεράτων ἔχων κιττὸν πολὺν πεφυκότα χλωρόν, ὡς ἁπαλῶν ὄντων τῶν κεράτων ἐμφύντα ὥσπερ ἐν ξύλῳ χλωρῷ. Sed re vera idem fere, quod Unger vult, testantur Aelianus Nat. an. l. XII, c. 18, qui auctor est De-

mocritum narrare: ἤδη δέ τινα—i. e. κέρατα ἐλάφων — καὶ κλάδοις περισχεθέντα καὶ ἐμποδίζοντα εἰς τὸν ὠκὺν δρόμον ὑπὸ ῥύμης τὸ θηρίον ὠθούμενον ἀπήραξε, et Eustathius nescio quis, qui ad Hexaëm. p. 36 feram quandam, quam ἀνθόλοπα nominat, ait gigni in campis per quos Euphrates fluat, hanc cornua longa habere serrarum similia eisque altas desecare arbores. Quando autem sitit, inquit, ad flumen accedit et παίζει ταῖς ἐρικίναις· λεπτόκλωνοι δὲ ὑπάρχουσαι ἐμπλέκονται αὐτοῦ περὶ τὰ κέρατα. Tum clamorem illam tollere, venatores venire atque capere et conficere. De qua re Goettling disputavit in indice librorum annalibus qui Isis inscribuntur addito (a. MDCCCXXIII fas. 2 p. 128); idem oblitus est animadvertere id quod manifestum est haec omnia fabulosa esse. Vix autem illa Ungeri rem explicandi ratio rerum naturae consentanea est: vix enim ulla folia haerere diu possunt in reduncis aegagri cornibus. Horum quae sit interdum consuetudo, Buxton docet: narrat enim se vidisse rem ad percutiendum venatoris animum aptam, aegagrum mane quasi corporis exercendi causa demissis humi cornibus ramos fruticis ferientem et folia decutientem: fenum illum ait facere p. 215; id quod ante oculos proposuit pictura post p. 208 libro inserta. Itaque haerere folia non possunt nisi in ramosis cornibus, velut cervorum. Simiau igitur credo naturae animalium vel minus peritum vel neglegentem suo periculo ad aegagrum cornua non amittentem transtulisse, quae de cervis narrat Aristoteles, neque in arcum deo cuidam dedicatum illud carmen composuisse, sed ingenii venditandi doctrinaeque ostentandae causa lusisse illo Homeri loco abusum. Eadem consuetudo est in aliis eiusdem poetae epigrammatis, in quibus Homericis vocabulis et sententiis non minus utitur. Nam in ep. 114 ἐκ βασιλῆος dicit, sicut Homerus Il. l. II v. 33, Ἀμφιτρυωνιάδᾳ, sicut l. V v. 392 πάις Ἀμφιτρύωνος, τεσσαρακαιδεκάδωρα, sicut l. IIII v. 109 ἑκκαιδεκάδωρα, βούβοτος sicut Od. l. XIII v. 246, κραίνεται ἀγεμόνι, sicut l. VIII v. 391 βασιλῆες ἀρχοὶ κραίνουσι. v. 4 autem, ubi legitur κατὰ γᾶς ἤλασε, recte Stadtmueller proponit κατ' ἄκρας, nam Simias utitur Od. l. V v. 313 ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης. Denique hoc quoque in carmine quodam modo ineptit. Quae enim cornua v. 1 dicit ὀργυιαῖα, eadem v. 3 quatuordecim palmorum. Atqui viginti quatuor δῶρα efficiunt ὀργυιάν, et quis unquam crediderit esse cornua tauri unum quod nunc dicimus metrum et octoginta quinque centesimas longa? L. VII autem in ep. 203 ὑλῆεν δρίος εὔσκιον dicit, sicut Homerus Od. l. XIIII v. 353 δρίος πολυανθέος ὕλης et Il. XV v. 273 δάσκιος ὕλη, v. 2 ἠχήεσσαν ἱεῖς γῆρυν ἀπὸ στομάτων

ex Od. l. XII v. 187 ὑμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι mutuatus est atque ne pluralem quidem mutavit, ἐν νομῷ ὕλης ex Od. l. X v. 159; denique πυμάταν εἰς 'Αχέροντος ὁδόν ex eodem libro, ubi v. 512 legitur εἰς 'Αίδεω ἰέναι δόμον, v. 513 εἰς 'Αχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι Κώκυτός θ' κτλ., ostendit poëtam studio novandi Homerica verba ad ineptias delapsum. In ep. denique 647 initio facile agnoscitur Il. l. XVI v. 9 κούρῃ εἰανοῦ ἁπτομένη (μητρός), δακρυόεσσα δέ, in αὖθι μένοις παρὰ πατρὶ l. X v. 209 αὖθι μένειν παρὰ νηυσίν, in τέκοις ἐπὶ λῴονι μοίρᾳ l. I v. 418 τῷ σε κακῇ αἴσῃ τέκον ἐν μεγάροισιν et l. V v. 154 υἱὸν δ' οὐ τέκετ' ἄλλον, κηδεμόνες autem leguntur l. XXIII v. 163 et 674.

Ep. autem 113 cum in libris sit non δασύτριχος, sed διάτριχος, τανύτριχος scribendum, quod epithetum caprae legitur Hesiodi Op. v. 516. Interdum enim caprarum ferarum pilos in quibusdam corporis partibus paene instar iubae esse Lorenz auctor est p. 859.

Ne Philostrati quidem arcus re vera videtur fuisse, sed idem est qui Pandari. Legitur enim Imaginum l. I, 10 τῆς λύρας τὸ σόφισμα πρῶτος 'Ερμῆς πήξασθαι λέγεται κεράτοιν δυοῖν καὶ ζυγοῦ καὶ χέλυος· ... τὸ μὲν γὰρ κέρας αἰγὸς ἰξάλου ποιηταί φασι, χρῆται δὲ αὐτῷ ὁ μὲν μουσικὸς ἐς τὴν λύραν, ὁ δὲ τοξότης ἐς τὰ οἰκεῖα. μέλανα καὶ πριονωτὰ ὁρᾷς τὰ κέρατα καὶ δεινὰ ἐναράξαι. ξύλα δὲ, ὅσων δεῖ τῇ λύρᾳ, πύξου πάντα στρυφνοῦ καὶ λείου τὸν ὄζον. Hic igitur ipse quoque Homeri memorem se esse fatetur, cum τὸ κέρας αἰγὸς ἰξάλου dicat. Sed in ceteris eruditionem suam male ostentat: quis enim unquam memoriae prodidit Mercurium, cum lyram inveniret, aegagri cornibus esse usum ad illa κέρατα sive πήχεις? Quis, si quis hoc narraret, crederet? Nonne satis magnae erat fortunae, quod in tempore testudo ei in manus incidit? Num credamus tantam feram una cum testudine casu ei oblatam esse? Profecto admirationem movet, quod cum de fide Philostratorum controversia orta esset, C. Friederichs, H. Brunn, Fr. Matz, alii novitatem huius rei neglegebant. Quid quod hoc quoque minus est veri simile, omnino statim initio πήχεις esse a Mercurio additos nedum septem chordas. Quamquam legitur hoc hymni in Mercurium v. 47 sqq.

πῆξε δ' ἄρ' ἐν μέτροισι ταμὼν δόνακας καλάμοιο,
τετρήνας διὰ νῶτα λιθορρίνοιο χελώνης·
ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοὸς πραπίδεσσιν ἑῇσιν
καὶ πήχεις ἐνέθηκ', ἐπὶ δὲ ζυγὸν ἤραρεν ἀμφοῖν,
ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἴων ἐτανύσσατο χορδάς,

maioremque in ipsa origine perfectionem lyrae fingit Lucianus, qui Deorum dial. VII, c. 4 Mercurius, inquit, χελώνην που νεκρὰν εὑρὼν ὄργανον ἀπ' αὐτῆς συνεπήξατο· πήχεις γὰρ ἐναρμόσας καὶ ζυγώσας ἔπειτα κολλάβους ἐμπήξας καὶ μαγάδα ὑποθεὶς καὶ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς ἐμελῴδει πάνυ γλαφυρόν. Cuius ex ingenii ubertate quid proficisci potuerit, docet ille Polyphemus Mar. Dial. I, c. 4, quem lyram e cervi capite fabricantem eiusdemque cornibus tamquam πήχεσιν utentem inducit; fuerintne cervi in illa insula, minime curans id unum agit, ut risum moveat. Itaque sicut de septem chordis nulla fides est Luciano, cum veri similius sit initio quatuor fuisse numerumque postea auctum, fortasse ab Amphione, ut est apud Pausaniam l. VIIII, c. 5, § 7, ita dubium esse non potest, quin verum sit, nullum esse in prima lyrae inventione cornibus aegagri locum, nunquam mentionem eorum fieri; recteque Apollodorus bibliothecae l. III, c. 10, § 2 εὑρίσκει πρὸ τοῦ ἄντρου νεμομένην χελώνην—erant autem in Arcadia χελῶναι μέγισται μέγεθος, sicut est apud Pausaniam l. VIII, c. 54, § 7—ταύτην ἐκκαθάρας εἰς τὸ κύτος χορδὰς ἐντείνας ἐξ ὧν ἔθυσε βοῶν καὶ ἐργασάμενος λύραν εὗρε καὶ πλῆκτρον. Eodem modo Pausanias l. VIII, c. 17, § 4 κέρατα omittit. Cum his C. de Ian, peritissimus harum rerum homo, consentit in commentario de fidibus Graecorum a. MDCCCLXXXI edito p. 26 adn. 41, et in A. Baumeisteri opere vol. III, p. 1539; qui cum posteriore aetate aegagri cornua adhiberi solita esse opinatur, vereor ut quisquam ei assentiatur, qui quidem illa vel ipsa vel depicta viderit atque et longitudinem et formam eorum secum reputaverit; adeo inepta sunt ad illum usum. Neque magis apta essent cornua rupicaprae, ita enim αἴγαγρον vertit p. 8. Talis lyra puerorum scilicet esset oblectamentum. Nec quod sciam imagines ullae lyrarum in monumentis artis vel pictae vel fictae aegagrorum cornua ostendunt. Itaque si Philostrati lyram opinatam esse necessarie demonstratum est, ne de arcu quidem fidem ei habebimus; erravit enim, sicut fieri solet, quod generatim et universe locutus Pandari arcum ad totum genus refert.

Verba autem e Sophoclis Thamyrae fr. 223 ῥηγνὺς χρυσόδετον κέρας (λύρας), quae primus C. Ian attulit p. 8, demonstrant iam tum propter similitudinem quandam cum cornibus e capite animalium cornutorum eminentibus illos πήχεις nominatos esse κέρατα.

Neque vero Homeri solum, sed etiam *Euripidis* Philostratus memor erat, cum τῆς λύρας τὸ σόφισμα scriberet. Antiopam enim spectat, in qua Zethus Amphionem fratrem hortatur ut eas res tractet, quae

iuvenem magis deceant, lyram, τὰ κομψὰ ταῦτα σοφίσματα, concedat aliis (fr. 188). Ante hunc versum autem leguntur hi:

ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ·
παῦσαι μελῳδῶν, πολέμων δ' εὐμουσίαν
ἄσκει· τοιαῦτ' ἄειδε καὶ δόξεις φρονεῖν
σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν.

Plato enim in illo libro qui inscribitur Gorgias p. 486 D Calliclem inducit vitio dantem Socrati, quod in philosophia versetur atque, ut aliquando in rebus honore dignis se exerceat, hortantem his Zethi Euripidei verbis: ἀλλ' ὠγαθέ, ἐμοὶ πείθου, παῦσαι δ' ἐλέγχων, πραγμάτων δ' εὐμουσίαν ἄσκει, καὶ ἄσκει, ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν, ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς εἴτε ληρήματα χρὴ φάναι εἶναι ἢ φλυαρίας... Quem collaudans scholiasta σκόπει, inquit, ὅπως δεῖ χρῆσθαι ταῖς μακροτέραις ῥήσεσι τῶν ποιητῶν, μὴ αὐτοὺς διόλου τιθέναι τοὺς στίχους, ἀλλά τι καὶ λέξεως πεζοτέρας εὖ πως αὐταῖς ἀναμῖξαι. Deinde ὁ τῶν στίχων, inquit, νοῦς οὗτος· ὁ Ζῆθός φησι τῷ Ἀμφίονι μουσικῷ ὄντι· ῥῖψον τὴν λύραν, κέχρησο δὲ ὅπλοις. Eandem Euripidis verbis subesse sententiam Olympiodorus ait, sed idem ἐκεῖνος h. e. Zethus εἶπε τῷ Ἀμφίονι· πολέμων δὲ εὐμουσίαν ἄσκει, οὗτος h. e. Plato δέ φησι· πραγμάτων, atque ex oratione Zethi haec quoque verba memoriae prodit: καὶ οὔτ' ἂν ἀσπίδος κύτει προσομιλήσειας. Videtur igitur apud Euripidem πολέμων legisse neque animadvertisse, hoc a metro abhorrere. Neque vero hoc fugit viros doctissimos, ex quibus alios πολεμίων, πολεμίαν, πολεμικῶν, δαΐων proposuisse Nauckius auctor est, alios πολύπονον vel τῶν πόνων et ποιμένων, ipse legendum γαπόνων proponit. Atque hi quidem versu σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν commoti esse videntur, ut mentionem de rebus bellicis fieri posse negarent. At primum quidem illud προσομιλεῖν ἀσπίδος κύτει satis demonstrat, quid Zethus velit, deinde ad omnes videtur pertinere, quod Varro Rer. rust. l. II, c. 10, § 3 popularibus suis praescribit, ut formae hominum, scilicet qui pastores sint futuri, legendae sint firmae ac veloces, mobiles, expeditis manibus, qui non solum pecus sequi possint, sed etiam a bestiis ac praedonibus defendere, qui iaculari; denique sermo est de firmando laboribus rusticis corpore; ad hoc enim refertur, quod Amphion fr. 199 respondet εἰ γὰρ εὖ φρονεῖν ἔχω, κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ καρτεροῦ βραχίονος. Cuius vim cum postea in domando tauro comprobaverit, cessit enim, ut est apud Horatium Epp. l. II, 1 v. 43, fraternis moribus conticuitque lyra, Euripides sine dubio non praetermisit suo loco de hac re sermonem inferre. Crediderim

igitur in illo versu eum id scripsisse, quod est apud scholiastam et Olympiodorum,

τῶν ὅπλων δ' εὐμουσίαν.

Denique *Oppianum* Bluemner ait auctorem esse, arcus e cornibus fieri; dicere enim eum

ἐκ δὲ κεράων
τόξα τε κυκλοτερῆ καὶ μυρία τεύχεται ἔργα.

Atque leguntur haec Cynegeticorum l. II, v. 511 (non, ut est apud Bluemnerum, Halieuticorum l. II, v. 54). Ut enim demonstret elephantis non esse dentes, sed cornua, experimentis esse cognitum ait omnium animalium dentes esse rigidos neque ulla arte flecti posse, cornua autem flexibilia, sicut elephantorum, quae eborarii, ἐλεφαντοτόμοι, possint γνάμπτειν εὐρύνειν τε. Aqua enim fervida et igni cornua molliendi veteres peritos fuisse Bluemner demonstrat testimonio usus Pausaniae l. V, c. 12, § 5. At Homeri aetate hanc peritiam fuisse nullo modo veri simile est, et Oppianum nihil nisi Pandari arcum spectare vel inde apparet, quod eodem utitur epitheto, quo semel Homerus de ipso Pandari arcu l. IIII v. 124 αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν.

Quod de eodem arcu et de cornibus dixi, eo magis videtur credibile, quod eundem morem media quae vocatur aetate fuisse tradunt. F. C. Keller enim in Encyclopaediae quam supra commemoravimus vol. VII, p. 346 litterarum quodam monumento XIIII saeculo scripto ait memoriae prodi, incolas Alpium Carnicarum in sollemnibus quibusdam, ut principum consalutationibus, arcubalistas ibicum cornibus ornatas gessisse.

Illa igitur vis est verbi ἤραρε, sicut Il l. XII v. 55 ὕπερθεν δὲ σκολόπεσσιν ὀξέσιν ἠρήρει et Od. l. V v. 252 ἴκρια δὲ στήσας, ἀραρὼν θαμέσι σταμίνεσσι, ποίει.

Ne hoc quidem nimiae audaciae est conicere, illud lignum fuisse corneum. Herodotus enim auctor est l. VII, c. 92 Lycios, qui in exercitu Xerxis erant, habuisse τόξα κρανέινα, hoc est e ligno cornus quam masculam vocant facta, quam saepe in Cilicia, in Tauro et Antitauro montibus inveniri P. Tschichatschov testatur, in radicibus Idae raro K. G. Fiedler, quamque Plinius ait e fortissimis durissimisque esse Nat. Hist. l. XVI, c. 26, § 105. Haec sine dubio erant illa Λύκια τόξα, quae Herodotus c. 77 ait apud Milyades fuisse usitata. His Ly-

cios more institutoque maiorum etiamtum usos esse quis non putaverit simillimum veri, praesertim si consideraverit, quam diu saepe in his rebus homines quae antiquitus tradita sunt sequantur. Velut in Italia taxo ad arcus usos esse Vergilius auctor est Georgicon l. II, v. 448, dicit enim 'Ituraeos taxi torquentur in arcus'. Huius autem arboris, quam Theophrastus Hist. plant. III, c. 10, § 2 μῖλον, Dioscorides de mat. med. l. IIII, c. 70 σμίλακα, Linnaeus taxum baccatum appellat, cum magna in Gallia Germaniaque copia sit, sicut Caesar testatur De b. Gall. l. VI, c. 31, ex ea arbore factis arcubus ad XV. usque p. Chr. n. saeculum utebantur. Cuius rei, si legeris Georgii equitis de Ehingen librum qui inscribitur Itinera ordinis equestris causa suscepta, testem habebis.

Neque minus est veri simile, alterum quoque morem apud Lycios antiquitus fuisse traditum. Herodotus enim ait eos habuisse ὀιστοὺς καλαμίνους ἀπτέρους. Quod si recte conicio, non solum l. IIII v. 117 ἰὸν πτερόεντα Pandari—quem versum ob aliam causam Aristarchus Homeri esse negavit, sicut Lehrs demonstrat p. 63,—sed reliquis quoque locis, l. V v. 171, XVI v. 773, XX v. 68, ita intellegemus, ut non sit sagitta 'pennis instructa' sed 'celeris sicut ales'. Est enim haec translatio in ἔπεα πτερόεντα, est in Od. l. VII v. 36 τῶν νέες ὠκεῖαι ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα. Eadem significatio est vocabuli 'volucris' apud Vergilium Aen. l. V v. 242, 503, 544. Denique αἰγὸς δέρματα, quae Herodotus ait Lycios habuisse περὶ τοὺς ὤμους αἰωρεύμενα, facile fieri potest ut ipsa quoque ducibus certe fuerint ferarum caprarum. Hanc consuetudinem praeter Lyciam in Africa quoque fuisse scimus. Ipsae enim tres deae, Λιβύης τιμήοροι, quae apud Apollonium Rhodium Iasonem consilio suo adiuvant l. IV v. 1309 sqq., sunt στέρφεσιν αἰγείοις ἐζωσμέναι ἐξ ὑπάτοιο αὐχένος ἀμφί τε νῶτα καὶ ἰξύας v. 1348. Ad quem versum cum auctor scholiorum adnotet, apud Aeschylum legendum esse μελανοστέρφων γένος (quod est fragm. 370 Nauckii, qui μελανστέρφων scribit), non, ut quidam velint, μελανοστέρνων· οὐ γὰρ μόνα τὰ στέρνα μέλανα ἔχουσιν, ἀλλὰ καὶ ὅλον τὸ σῶμα, veri simile est agi de Aethiopibus verbaque haec esse e Memnone. Neque minus, eorundem mentionem fieri apud Ibycum. Antea enim idem scholiasta memoriae prodit: Ἴβυκος στερφωτῆρα στρατὸν εἴρηκε τὸν ἔχοντα δέρματα.

Ut igitur ad Pandari arcum redeam, insignis quidem erat cornibus aegagri, neque vero ex eis solis confectus, sed eis ornatus. Illud enim neque fieri potest neque ullum arcus eiusmodi extat exemplum. Nam ne Ulixis quidem arcus e cornibus ullius animalis factus erat, quem

manibus contrectat, sicut Paris II. l. VI v. 322, et oculis collustrat, ut est Od. l. XXI v. 395,

πειρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα,
μὴ κέρα ἶπες ἔδοιεν ἀποιχομένοιο ἄνακτος.

Ut enim omittam insecta illa, quarum larvae quae nunc dicuntur ossa et cornua animalium in Africa arrodunt, de quibus dudum A. H. Haliday in commentariolo On larve infesting the horns of Oreas Canna Annalium qui anglice inscribuntur Nat. Hist. Review vol. III Proceed. p. 23 inserto, nuper Walter F. H. Blandford in Annalibus qui inscribuntur Nature vol. LVIIII, № 1528 et M. de Ioannis in eis qui inscribuntur Bulletin de la Société entomologique Française a. MDCCCLXXXXII, p. 129 egerunt, in Europa quoque eius generis animalia esse apparet ex W. F. Erichsoni libro de insectis Germaniae edito a. MDCCCXXXXVIII, p. 423; docet enim larvas dermestinarum quae vocantur non ligno solum, sed cornibus quoque infesta esse. Una autem earum species nunc quoque in Graecia invenitur, dermestes vulpinus; quam describit Brullé vol. III. p. 163 Descriptionis itineris a Francogallis in Peloponnesum naturae eius inquirendae causa suscepti. Haec igitur res quamquam non est impedimento, quin illa κέρα proprie intellegantur, nihilo minus vel ob eam quam supra diximus causam translatam huic vocabulo sententiam subicere non dubitamus. Accedit, quod Ulixis τόξον, quod Euryti magni quondam fuerat eique ab Iphito Euryti filio dono datum, παλίντονον dicitur Od. l. XXI v. 11 atque poeta, si ille arcus e cornibus fuisset, sine dubio de hac re non tacuisset v. 31 sqq. Hanc sententiam L. Doederlinus Glossarii Homerici vol. II, p. 265 amplexus est.

Neque aliter interpretandum illud κέραι ἀγλαέ Il. l. XI v. 385, neque Theocriteum κέρας ὑγρόν Id. XXVI v. 206, versu enim 245 χορτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠύτε τόξον demonstratur, κέρας idem esse quod καμπύλα vel ἀγκύλα τόξα, ut Il. l. V v. 97, 209 al. vel κυκλοτερὲς μέγα τόξον l. IIII v. 124. Ita Callimachus in epigrammate, quod est Anthol. Pal. l. XIII, ep. 7, in ed. Schneideri XXXVIII, Menoetam Lyctium facit τὰ τόξα Serapidi dicantem his verbis:

τῆ, κέρας τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην,
Σάραπι, τοὺς δ' οἰστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

Menoetas igitur, civis Lycti, oppidi Cretae, non, sicut Echemmas popularis eius, Deli arcum dedicat, sed in quodam Aegypti templo.

Rursus illa aegagri cornua, quae Alexander Cotyaeensis dicit Deli κεῖσθαι, sine dubio in templo exterorum deorum, in quo Serapis, Isis, Anubis, Harpocrates colebantur, postea demum Deli exstructo erant suspensa.

Eadem vis vocabulo κέρας subest Quinti Smyrnaei Posth. l. XI v. 102, ubi est ἰθύνεσκεν ἰὸν ἀπὸ γναμπτοῖο κεράατος et v. 106 καίριον ἐς κραδίην, sicut in Anthol. Pal. l. VI, 118 κεραὸς βιὸς et ep. 75 γυρὰ κεραία.

Neque dubitandum, quin apud Romanos quoque poetas haec sit vocabuli latini significatio, velut cum Vergilius Buc. X, v. 59 dicit: 'libet Partho torquere Cydonia cornu spicula', et qui eum imitantur Silius B. pun. v. 109: 'crebra Cydoneo fundebat spicula cornu' et Claudianus Nupt. Hon. v. 75: 'ille (i. e. Cupido) deos temperat cornu', utque auctor versus, qui est apud Suetonium v. Neronis c. 39: 'Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus'. In Ovidii quoque versibus, qui leguntur Metam. l. V v. 379 sqq. 'ille pharetram solvit et arbitrio matris de mille sagittis unam seposuit, sed qua non acutior ulla nec minus incerta est nec quae magis audiat arcus, oppositoque genu curvavit flexile cornum inque cor hamata percussit arundine Ditem', cornu hoc modo accipiendum puto. Quid quod Metam. l. I. v. 696: 'credi posset Latonia, si non corneus huic arcus, si non foret aureus illi', hic, quoniam antiquitus aurea deorum arma esse putabant, non eget excusatione, sed cornea ad cornum masculam arborem referenda.

Restat, ut ad Vergilium imitatorem Homeri animum attendamus. Hic l. IV Aeneidis dicit Aeneam et Didonem Carthagine in nemus exisse venatum v. 117 sqq., v. autem 151:

> postquam altos ventum in montes atque invia lustra,
> ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae
> decurrere iugis, alia de parte patentis
> transmittunt cursu campos atque agmina cervi;

qua de re Servius laudat poetam, quod bene aptet descriptionem ad species, ut cervis campos, capreis saxa permittat. Sed omisit quaerere, sintne tam alta prope Carthaginem saxa, unde caprae sese potuerint deicere, immo vero, id quod maioris est momenti, sintne in Libya ferae caprae et cervi. Quod si quaesisset, fortasse invenisset, neque esse eas neque unquam fuisse. Aristoteles enim Hist. An. l. VIII, c. 28, § 158 ἐν Λιβύῃ, inquit, οὔτε σῦς ἄγριός ἐστιν οὔτ' ἔλαφος οὔτ' αἴξ ἄγριος, et caprae ferae Libycae, quas Aelianus describit De nat. anim.

l. XIIII, c. 16 minime esse easdem, quae apud Homerum inveniantur, dudum inter omnes constat. Haec omnia poeta Romanus umbraticus non curat. Ceterum venantes ex equis cum canibus illos inducit; cum v. 121 dicit:

dum trepidant alae saltusque indagine cingunt,

indago videtur idem esse quod v. 132 odora canum vis, οἱ ἰχνευταὶ κύνες apud Arrianum Cyn. c. 21, cum apud Vergilium Buc. X, v. 56 legatur: 'non me ulla vetabunt frigora Parthenios canibus circumdare saltus'.

Posteriore aetate, qua epigrammatum genus vigebat, duo poetae Pandarum celebrarunt. Alterius, quem falso Aristotelem esse putabant, carmen hoc est (apud Bergk. Poet. Lyr. Graec. vol. II, ed. IV. p. 353):

Τηλεβόλον ῥυτῆρα, Λυκάονος ἀγλαὸν υἱὸν,
ἐκ Ζελέας, κατέχει Πάνδαρον ἥδε κόνις,

quod audacia quadam insigne est, qua poeta Homericum Apollinis epitheton mutavit et vocabulo ῥυτήρ, cui Od. XVIII v. 262 ὀιστῶν, l. XXI v. 173 βιοῦ καὶ ὀιστῶν additur, sicut in fragm. mel. 13 Anthol. lyr. Bergkii est ῥύτειρα τόξων, absolute est usus. In epigrammate autem, quod in Telo insula repertum O. Rayet edidit in annalibus qui inscribuntur Bulletin de Corresp. hell. a. MDCCCLXXVIIII, p. 42 et Ed. Cougny in Epigrammatum Anthol. Pal. vol. III Parisiis edito p. 114. lapicidae errore legitur ἐπεὶ ῥυτῆρά με τόξῳ ᾔνεσε καὶ Κρῆτα πᾶσα κατ' εὐστοχίαν pro τόξου et Κρήτη. Alterum epigramma quod Posidippi est, apud Stephanum Byz. s. v. Ζέλεια legitur non integrum; quod Th. Bergk aliqua ex parte ita supplevit p. 342, in primo versu Meinekium secutus, ut legeret:

Οὐδὲ Λυκαονίῃ δέξατό σε Ζελίη.
ἀλλὰ παρὰ προχοῇ Σιμοεντίδι τοῦτό σοι Ἕκτωρ
σῆμα καὶ ἀγχέμαχοι θέντο Λυκαονίδαι.

Th. Preger quoque Bergkii rationem legendi hos versus sequitur in Inscriptionibus Graecis metricis ed. MDCCCXCI Proleg. p. XI, sed idem in v. 1 probat Λυκαονίδῃ, quod Hecker proposuit. Sed cum libris manu scriptis sit traditum οὐδὲ Λυκάων, δέξατό σε, Ζελείῃ et Ζελείην, ἀλλὰ προχοῇσι Σιμόεντος διὰ τοῦτό σοι, prioris distichi partem sic legendam puto:

οὐδὲ Λυκάων
⟨οὐδ' ἄλοχος κεδνὴ⟩ δέξατό σε Ζελίῃ,

initio autem hexametri fuit Πάνδαρε eumque sine dubio poeta dixi, Troiae sepultum esse. Sic Achilles Il. l. XVIII v. 330 ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νοστήσαντα δέξεται ἐν μεγάροισι γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς οὐδὲ Θέτις μήτηρ, ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα καθέξει. Alter autem hexameter sine dubio sic legendus:

ἀλλὰ παρ' ὄχθῃσιν Σιμόεντος τοῦτό σοι Ἕκτωρ,

nisi forte Σιμοεντίσι praeferendum, cum in eiusdem epigrammate, quod apud Pregerum est p. 96 ex Athenaeo l. VII, p. 318 D, sit Ζεφυρίτιδος ἀκτῆς. Legitur enim παρ' ὄχθῃσιν Σιμόεντος apud Homerum eo ipso libro V, quo Pandari interitus narratur, v. 774 neque ille locus, ἧχι ῥοὰς Σιμόεις συμβάλλετον ἠδὲ Σκάμανδρος, ubi tam acriter pugnatum est, aptus videtur ad tumulum exstruendum. Quamquam autem scholiasta ad Apollonii Rhodii Argon. l. I v. 11 recte dicit τῶν ποταμῶν οἱ συμβάλλοντες τόποι τῇ θαλάσσῃ προχοαὶ λέγονται. ὡς Ὅμηρος· ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι, quod est Il. l. XVII v. 263, tamen poetae quidam huic vocabulo eandem subesse vim voluerunt quam vocabulo ῥοαῖς, sicut Bacchylides, qui c. 6 v. 3 ἐπ' Ἀλφεοῦ προχοαῖσι νικῶν dixit et Quintus Smyrnaeus Posthom. l. VI, v. 647, qui ποτὶ προχοὰς Σιμόεντος. Denique Graeci semper plurali huius vocabuli numero utuntur, sicut Homerus Od. l. V v. 453, XI v. 242, XX v. 65, Solon fr. 28, Aristophanes Nub. v. 273, Simonides fr. 120, Theocritus Chius fr. 1, ille poeta ipse, qui epigrammata pepli qui dicitur conscripsit, in eis, quibus Sarpedon et Memnon celebrantur, ed. Bergk. p. 353, alius Anthol. Pal. l. VII, c. 366 et c. 514, Apollonius Rhodius Argon. l. II v. 652, 789, 970, l. IV v. 132, 312, Quintus Smyrnaeus Posth. l. I v. 10, VIII v. 120, VIIII v. 210, X v. 589. Λυκαονίδας autem Posidippus ausus est dicere Lycaonis cives, cum apud Homerum Δαρδανίωνες sint et Δαρδανίδες Il. l. VII v. 414, VIII v. 154 et XVIII v. 122 et 339. Hoc facilius est ad intellegendum quam quod Hercher proposuit Δολιονίδαι, Apollonii Rhodii sine dubio memor; sed nomen huius gentis, cuius rex Cyzicus erat, insulam incolentis ἐπικειμένην τῇ γῇ ὑπὲρ τὸν Αἴσηπον ποταμόν, est Argon. l. I v. 947 Δολίονες.

Vergilius Aen. l. V v. 496 Pandari mentionem facit, quippe qui foederis fuerit violator, sicut Dio Chrysostomus orat. LXXIII (ed. Dind.

p. 259, 260), Plutarchus in libello de cohibenda ira c. 9, quippe qui irae fuerit impotens (Il. l. V v. 214 sqq.). Apud Philostratum denique adeo arte Pandarus cum Lyciis videtur coniunctus, ut dicat Heroici c. XIIII: Σαρπηδὼν ἦγε Λυκίους ξύμπαντας καὶ ἀρίστω ἄνδρε Γλαῦκόν τε καὶ Πάνδαρον. ἦν δ' αὐτοῖν ὁ μὲν ὁπλιτεύειν εὐδόκιμος, ὁ δὲ Πάνδαρος τὸν Ἀπόλλω τὸν Λύκιον ἐπιστάντα οἱ μειρακίῳ ἔτι κοινωνῆσαι ἔφη τοῦ τοξεύειν καὶ ηὔχετο ἀεὶ τῷ Ἀπόλλωνι, ὅτε τοῦ τόξου ἐπὶ μεγάλῳ ἅπτοιτο. C. XV Alexandrum in arte sagittandi dicit non inferiorem fuisse Pandaro. Neque vero ausim ista Philostrati de Sarpedone Pandari duce sententia abuti ad id quod probare mihi propositum est confirmandum, Pandarum in ipsa Lycia fuisse.

Cum in Creta insula aegagri fuerint, non mirum, quod imagines eorum non solum in nummis Cretensibus spectantur (velut in tab. XII, 10 et XIII, 6 et 7 in Ephem. arch. Graeca a. MDCCCLVIIII), sed ab artificibus quoque iam illius aetatis, quam e Mycenis nominant, gemmis insculptae sunt, quae ars cum aliis locis tum maxime in hac insula tum vigebat. Quae depictae sunt in A. Furtwaengleri praestantissimo de gemmis antiquorum opere tab. III. Tab. V autem continentur duae steatitides in ipsa insula Melo repertae, in quibus aegagri spectantur. In tanta vero tanti operis admiratione si licet de rebus parvis minus consentire, confiteor me dubitare, sintne aegagri insculpti in gemmis tab. III, 21 et XVII, 68, qui mihi capri esse videntur, sicut in gemma tab. III, 26. In ea autem, quae tab. VI, 22 est, cauda longa et paene leonina suspicionem movet, hoc animal esse fabulosum; in gemmis tab. III, 34 et fortasse LXI, 16 agnoverim oves Cyprias, quae simillimae sunt earum, quas Plinius Nat. Hist. l. VIII, c. 49, § 199 musmones appellat; hae in Sardinia et Corsica, illae in Cypro gignuntur; ovis Cypria in tab. X quoque Ephemeridos anni quem supra dixi videtur esse, sicut quatuor ovium capita ib. 25. In gemma denique tab. III, 28 cervas potius esse putaverim quam boves.

Quae autem supra dixi de sagittis non pennatis, si quis refelli dixerit gemma ea, quae apud Furtwaenglerum est tab. III, 43, in Ephemeride autem tab. X, 31, respondebo, cuspidem hanc esse sagittae, ab artifice additam, ut quo telo aegagrus mortiferum vulnus acceperit, significet. Neque enim haec feram attingit, nedum transfigit. Telum autem vel partem teli addere solitos esse artifices nummi Cretenses ostendunt, qui in Ephemeride tab. XII sunt 10 et 11, et tab. XIII, 7. Cum autem feras adeo fugaces vix hastis petere veteres

potuerint, sagittas illas esse putaverim. E contrario non possum mihi persuadere, sagitta esse transfixum leonem, qui est in gemma apud Furtwaenglerum tab. III, 35, in Ephemeride tab. X, 8; quod telum licet simile sit sagittae, tamen hastam artificem effingere voluisse putaverim.

